



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Inuocatio spiritus sancti contra vitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

obtemperent, si veritatem omni tempore confer-
uent, & errores fugiant, si pœnitentiæ laboribus
hilariter exerceantur, ac duritiam perpeti velint,
si pia in Deum fiducia semper sint longanimes,
si pacifici, tractabiles & iusti reperiantur, vt ni-
hil seruent proprium, seipsum nusquam querant,
nec proximis inuideant, si non mordaces, non in-
stabiles, non inquieti, non verme cōscientiæ af-
flicti, non superbi, non ambitiosi, non ad iram,
malitiamque procliuēs, non malis cogitationi-
bus inquinati: si denique non sint gaudentes de
malo proximi. Et non dubites huiuscemodi ho-
mines Dei spiritu vegetatos. Porro, qui hisce cha-
ritatis fructibus contraria sectantur, spiritu Dei
produnt se procul dubio destitutos. Nemo tamen
adeo rudis siue vitiosus est, modo respiscere vo-
luerit, cui per simpliciora simul exercitia nō hic
quoque consulatur: vt eisdem velut paruulorū
lacte viam salutis suæ exordiat, donec profun-
dissimo humilitatis iacto fundamēto, vitijs quo-
que & concupiscentijs vtcunque mortificatis,
valeat (quemadmodū tenetur) in prædictis cha-
ritatis fructibus progredi, & quæ retro sunt, ob-
liuiscens, ad sublimiora huius libri exercitia se-
se extendere, suæque vocationi magis magisque
respondere. Ne quod absit, talenti crediti negle-
ctor effectus, ab ore dominico euomi, a sancto-
rum tandem consortio disungi, & seruo pigro
grauissimis in pœnis, mereatur annumerari.
Id a nobis auertat misericors Deus, Amen.

SVPPLEX INVOCATIO SPI-
ritus sancti, pro donis eius, ac virtute
quælibet vitia superandi, matura
& humili mente tractanda.

b v Veni



VENI sancte spiritus, et emitte coe-
litus, lucis tuæ radium. **J** O spiri-
tus sancte Deus, qui es patris & fi-
lij charitas, bonitas & misericor-
dia infinita, qui essentialiter sanctus
es, et omnia opera tua sancta sunt, qui hominem
purum, humilem, patientem, spiritu pauperem,
obedientem, amabilem, mitem, pacificum, sim-
plicem, deuotum, salubriter timoratum, humili-
ter confidentem, ad Deum feruidum, & ad o-
mnes homines veracem efficis. O clementissi-
me spiritus sancte Deus, non sum ego dignus
tantam gratiæ plenitudinem a tua diuinitate sus-
cipere, quantam electissimi illi Christi aposto-
li in sancto Pentecoste pluresque alij vtriusque
sexus homines sancti percipere meruerunt. Oro
igitur te per infinitam bonitatem tuam, vt sal-
tem vnum diuinæ lucis ac illuminationis tuæ,
omnem intellectum angelicum, omnemque to-
tius mundi illustrationem, scientiam atque sapi-
entiam transcendentis radium in animam me-
am dirigere digneris. **¶** **V**eni pater paupe-
rum, veni dator munerum, veni lumen cordi-
um. **J** Veni in me o spiritus sancte. Fateor quia
male præparatum est cor meum, nec vllis virtu-
tibus exornatum, magis autem multiplici passi-
onum, vitiorum atque defectuum immunditiâ
conspurcatum. Sed tamē veni in me o spiritus san-
cte, qui pater es pauperum inopiam suam a-
gnoscentium. Officij quippe tui est, peccata ar-
guere, peccati dolorem infundere & cor con-
tritum diuinitatis tuæ dulcedine consolari,
Quicquid animæ deest, tu largiris. Tu enim da-
tor es munerum. In te copiose inuenio, quicquid
mihi siue in intellectu, siue in affectu, siue in
ipso

ipſo cordis mei fundo deeſſe cognoſco. Tu enim
verum lumen es cordium, qui cor hominis, in
quo operari diſponis, ad ſummi perpetuique bo-
ni (in quo bona omnia conſiſtunt) cognitio-
nem illuſtras. Descende igitur in me o ſpiritus
ſancte. Cui enim lucem tuam infundis, non am-
bulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, per
quod ſatis intelliget & agnoſcet, quomodo om-
nem ſuam conuerſationem intus & exterius,
ſiue coram Deo, ſiue coram ſuperioribus, ſiue
coram æqualibus, ſiue coram ſubditis, in ſua
deuotione, in cogitationibus, in intimis affecti-
onibus, in faciendâ confeſſione & demum in o-
rationibus ſuis inſtituere debeat ac teneatur.
Satis igitur æquum eſt, vt oculis ad cœlum leua-
tis, magno humiliſque affectu atque fiducia cla-
memus, dicentes: Veni ſancte ſpiritus, veni lu-
men cordium. ¶ [Conſolator optime, dulcis
hospes animæ, dulce refrigerium.] O ſuauiſſi-
me ſpiritus patris, & domini noſtri Ieſu Chriſti
filij eius, veni & infunde mihi diuinam gratiam
tuam, & cœleſti conſolatione tua recrea cor me-
um. Tu nanque conſolator es optimus. Multa
domine in hac lamentabili periculoſaq; vita in-
uenio: diuerſi quoq; conſolatores occurrunt mi-
hi, ſed nihil omnino fundum animæ meæ conſo-
lari poteſt, cui fiducialiter inniſi auiſi, niſi dun-
taxat diuina præſentia tua atque influxus in cor
meum. Sæpe quidem meipſum ſpe bona gratiæ
tuæ conſolor, Prælati quoque & ſuperiores mei,
fratres & ſorores meæ, ſed & ipſa corporis for-
titudō & incolumitas qualecūq; mihi interdum
ſolatiū præſtant, dum me per gratiam tuam
bona adhuc aliqua facturum ſpero, ſed ſuper
hæc omnia, quãdo tu Deus meus viſitare digna-
ris

ris

ris hospitium cordis mei, illa plane optima, se-
curissima, felicissimaque consolatio existit. Tu
quoque dulcis hospes es animæ, qualem vtrique
hospitem habere, non est alienum et incognitum
amicum hospitio recipere. Cum enim ad hospi-
tium venis cordis mei, tunc ego vivo in te & per
te, non autem tu Deus meus per me. Et quamuis
secundum aliquem loquendi modum ad nos ve-
nire, apud nos quiescere, pasci ac delicias habe-
re dicaris, locum tamen quieti tuæ tu ipse præ-
paras, & cibum quo nutriri, & in quo delicias in-
venire diceris, tu ipse tecum adducis: Ea quoque
nobis largiris, quæ corda nostra idonea reddunt
ad digne reuerenterque suscipiendum studioseque
conseruandum præsentiam tuam. Insuper præ-
stas nobis, quod te dominum Deum nostrum e-
tiam in præsentī vita per diuinam gratiam tu-
am, ad magnam quietem, vtilitatem, delectati-
onemque nostram suscipere valemus. Denique
& eum qui te hospitio suscipit, supra omne meri-
tum gloria inenarrabili coronas. Et ergo vere
dulcis hospes es animæ. Veni quæque in me o spi-
ritus sancte Deus ad restinguendam ingentem
flammam, feruidumque calorem multiplicium
atque magnarum passionum mearum. Sentio en-
im in me domine malas vitiorum inclinatioes,
quæ me multum affligunt, feruoremque cordis
mei valde deprimunt, atque a te Deo meo retra-
hūt, impediūtque. Magnū in me superbiæ ignē
sentio. Facile ad considerata bona opera mea,
& ad gaudendum vanamque complacentiam
habendum in eis inclinor. Cito aliorum defectus
etiam minimos considero, & peiora quam foris
video, suspicari non timeo. Multa in alijs mihi
displicent, quæ in me ipso vix vnquam attendo.

Gula

Gula quoque dominari mihi appetit. Luxuria
totum me malæ concupiscentiæ flamma vasta-
re cupit, & similiter alia aduersum me vitia in-
surgunt. Neque enim finem noui omnium ser-
uentium passionum sensualitatis meæ. Sed di-
gnare cœlitus illabi mihi spiritus sancte Deus
instar cœlestis refrigerantis rosis. Siquidem pas-
siones meas non solis ieiunijs, non viuendi aspe-
ritate, non sobrietate, non disciplinis alijsque si-
milibus edomare possum, nisi refrigerās iste ros
tuus o alme spiritus accesserit, sine quo vtique
quicquid legero in libris, audiero in sermōibus,
in superiorum meorum admonitionibus, in con-
fessione vel extra, parum mihi prodesse vale-
bit. ¶ [In labore requies, in estu temperies, in fle-
tu solatium.] O patris & filij suauissime spiri-
tus, descende quæso in fundum cordis mei. Cum
enim te Deum meum intra me sentio, nullus pro
virtutibus labor mihi molestus est: imo quan-
to labor grauior est, tanto cor & conscientia am-
pliori, suauiorique requie perfruuntur per te ve-
racem Christi spiritum, qui omnem obedientiæ
laborem absque difficultate subire, & cum in-
genti gaudio, & quiete omnem obedientiam ex-
cipere facis. Imo quod plus est, per te maiorem
fructum desiderijque feruorem ad te Deum me-
um, in quouis etiam externo obedientiæ opere
occupatus percipio, quam in quocunque alio
per meipsum assumpto exercitio. Quapropter
doce me o sanctissime spiritus, vt quādo me nul-
lo obedientiæ opere occupatum sentio: deuotio-
ni, contemplationi, orationi, atque ad Deum me-
um introuersioni tunc feruentiori vacem studio,
tanquam exercitijs, quæ pro illo tempore, tuæ
& superiorum meorum voluntati magis pla-
cere

cere

cere non dubito. Et non solum hæc spiritualia,
verum etiam quæque externa opera, videlicet
comedere, dormire, vigilare, tacere, loqui, o-
perari, quiescere siue recreari, non ex propria
voluntate, sed ex tua vel superiorum meorum
simpliciter faciam obedientia: vt quo huic vir-
tuti propinquiora, eo tibi reddantur magis be-
neplacita. Sicque sis mihi in omni labore requi-
es. Insuper quæso venire in me dignare & spiri-
tus sancte, quoniam in æstu temperies es. Ego
vero in cunctis actibus meis nullam temperan-
tiæ legem obseruo, modumque negligo tam
in exterioribus rebus, quam exercitijs inter-
nis. Cum enim exterius aliquid operor, corpus
simul & animam appono, ita vt cor meum ad
te Deum meum conuertere non possim. Cum
cibum capio, immoderato desiderio super ci-
bum me effundo. Quando me tempore oppor-
tuno recreare volo, modum excedo. In ridendo
vero & loquendo quam sim immoderatus quis
explicet? Sed & in internis rebus ac exercitijs
metas temperantiæ excedo. Quod enim cor me-
um apprehendit, in eo nimium requiescit. Si
creaturas mente reuoluo ad contemplandum in
eis te Deum creatorem, adeo ipsis immergor,
vt potius impedimentum mihi sint quam medi-
um quoddam ad te dominum Deum meum per
desiderium perueniendi. Si aliqua mihi deuotio
contingit, quando extra tempus ex propria vo-
luntate deuotioni me trado, et plus inhæreo, ma-
ioremque delectationem atque fiduciam in ea
habeo, quam in obsequio tuo diuino, quod ex
ecclesiæ tuæ sanctæ institutione simul cum san-
cta communitate persoluo. In deuotione quo-
que

que mea adeo immoderatum gaudium fiducia-
amque habeo, vt peccatorum meorum ac timo-
ris tui Deus meus sapius obliuiscar. E contra in
confessione tantum me scrupulositati atque ti-
moribus inuoluo, vt bonitatem ac misericordi-
am tuam obliuioni tradam. Sed & rursus saepe
sic potentiam, sapientiam & gloriam tuam
attendo, vt Christi domini mei humillimam
passionem ex toto obliuiscar. In alijs similiter
centum modis intus & exterius, dum vni rei
nimis intendo ac inhegeo, temperantiam modum
excedo. Veni igitur in me o alme spiritus, ac im-
moderata feruida que cordis desideria tempera,
inque cunctis siue ad te Deum meum, siue ad
creaturas cordis mei conuersionibus modum,
medium temperantiamque seruare me doceto.
In omni nanque aestu, id est, excessiuo ac im-
moderato calore, tu temperies existis. Qui pre-
terea etiam in fletu es solatium. O veni qua-
so in me dulcis spiritus Christi, qui crucem eius
absque difficultate portare facis viam angu-
stam, per quam electi ambulant, iucundam effi-
cis, afflictiones quas ob amorem Christi cor-
pori irrogamus, in solatium, recreationem ro-
burque animae conuertis. Breuiter, in fletu, in
tristitia, in aduersitate, cunctisque passionibus,
quae in hac vita filijs tuis occurrunt, pax, gau-
dium solatium que consistis. ¶ [O lux beatif-
sima, reple cordis intima tuorum fidelium.] Ve-
ni veni in me o super sanctissime spiritus, luce-
que diuinae claritatis tuae tenebras cordis mei il-
lustra. Multa quidem clara lumina, scientiae
& artes in mundo existunt, sed super omnia
lumina tu, o spiritus sancte Deus, lux es
clarissi-

clarissima beatissimaque. Ecce enim inueniuntur qui tam excellenter pingere sciant, vt omnes in admirationem rapiant. Alij Musicæ scientiam habent, ac in diuersis instrumentis musicis melodias doctaque carmina canere nouerunt. Alij naturas auium, piscium, ac omnium animalium agnoscunt. Alij motum cœli, Solis, Lunæ, syderumque, causamque tonitruu, fulminis, niuis, grandinis, pluuiæ, ventorumque intelligunt. Alij vires herbarum, lapidum preciosorum, fructuum, totiusque medicinæ omniumque infirmitatum agnoscunt. Alij in diuersis scientijs plurimum sunt exercitati, variasque ac mirabiles practicas nouerunt. Alij excellenter sunt eruditi in loquendo Græce, Latine & Hebraice ac alijs diuersarum gentium linguis. Alij insignes expertissimi que doctores existunt tam in ciuili, quam canonico iure, & in ipsa quoque Theologia, multa que scripturæ mytheria intellectus subtilitate penetrant. Alij plurimum sunt illuminati ad prædicandum ac scripturas tam spiritualibus, quam secularibus aperiendum, exponendumque, prout res postulare videtur. Atque hoc modo diuersæ inueniuntur claritates ac lumina intellectus. Sed super omnia tu benignissime spiritus sancte Deus in me quæso descende, quia tu lux beatissima existis. Cum enim tu Deus meus in aliquem per gratiam tuam venire dignaris, veram ei diuinamque noticiam suis ipsius, ac labentis seculi, & tui quoque infundis, quæ vtique cognitio scientias omnes plurimum antecellit. Ideoque repleas oro fundum & intima cordis, & intellectum extrinsecus. Quamuis enim confessores, superiores, & alij quibus suis admonitionibus, & operibus cor ab extra
illu-

illuminare queant, sed nisi tu diuina claritate
tua fundum illius intus illustres, nihil agitur.
Eapropter o benignissime spiritus sancte Deus
reple cordis intima tuorum fidelium, hoc est, il-
lorum qui certissime credunt, quod absque illu-
minatione tua nullum aliud lumen homini pro-
desse queat, quique de tua bonitate confidunt,
quod omnes te humiliter magnoque desiderio
inuocantes, sufficienter pro eorum statu & offi-
cio semper illuminare possis & velis. Descen-
de itaque in tuorum corda fidelium. ¶ [Sine
tuo numine, nihil est in lumine, nihil est innoxium.]
Ne igitur quæso vltra protrahas deside-
rium meum. Quandiu enim diuina præsentia
tua mihi subtrahitur, in tenebris ambulo, et nes-
cio quo vado, & neque meipsum, neque pecca-
ti scditatem, neque virtutum decorem, nobi-
litem & fructum, neque animæ pulchritudi-
nem, neque seculi fluxibilitatem, neque poten-
tiam, sapientiam, bonitatem Dei, neque gloriæ
perpetuitatem agnosco. Et vt breuiter dicam,
totum est tenebrosum, quicquid diuinæ clara-
tis tuæ præsentia caret. Sed & adhuc oro ne sub-
trahas mihi diuinam gratiam tuam o super-
dulcissime spiritus sancte, quandoquidem sine te
in vitijs & peccatis meis perseuero. Hæc enim
non scientia multa, non subtilitas intellectus,
non alta contemplatio, non demum aliud quid-
quam siue in cœlo siue in terra existens nisi tua
duntaxat diuina præsentia fugat & expellit. Ve-
ni veni igitur in me o spiritus sancte, ad illumi-
nandum tenebras cordis mei, ad expurgandum
immunditiam peccatorum meorum. ¶ [La-
ua quod est sordidum, riga quod est aridum, sa-
c na,

na, quod est faucium . ¶ O infinita Dei misericordia benigne spiritus exaudi vota & desideria mea, gratiamque tuam mihi summe necessariam clementer infunde . Gratia nanque tua est instar aquæ mundæ ac perspicuæ, anima vero mea similis est vasi immunditijs atque sordibus pleno . Descende itaque in me ad ablendum maculas conscientia meæ . Quia enim bonitatem tuam Deus meus quotidie offendo, infundere mihi dignare claritatem diuinæ gratiæ tuæ ad expurgandum sordes animæ meæ . In me quoque torus aridus, ficcus & exhaustus ac destitutus sum omni spiritalis deuotionis atque feruoris humore . Quamobrem descende obsecro in me dulcissime spiritus sancte, cœlestique gratia tua cordis mei siccitatem perfunde . Omnia nanque proposita mea bona nunquam aliquem fructum facere valebunt, sed cito ad nihilum rediguntur, nisi diuina gratia tua irrigentur . Ecce enim domine satis aduerto, quam humiles, obedientes, sobrijs, feruidique sint fratres atque sorores meæ singuli in exercitijs officijsque suis, & ego præ ariditate marcesco . Dignare proinde o supersanctissime spiritus siccitatem cordis mei cœlestis gratiæ tuæ rore perfundere ac irrigare . Præterea o alme spiritus licet interdum per gratiam tuam aliquem erga te Deum meum bonæ voluntatis feruorem sentiam, non tamen in opus procedit, aut certe tepide nimis . Natura siquidem infirma, labilis ac inuoluntaria effecta, non sinit me semper hoc agere, quod ad honorem tuum Deus meus libens perficerem . Eapropter benigne spiritus, infusione quæso cœlestis gratiæ tuæ

tua sana, quod est faucium in me. Quamuis enim non desit mihi interdum bona voluntas, tamen ex naturæ infirmitate ad omnia sum mala procliuus. Quocirca rogo domine, dele, destrue et in nihilum redige in me per diuinam gratiam tuam omnem malitiam, fragilitatemque naturæ meæ, quæ ex seipsa sola nihil nisi peccare nouit, & perforce imperfectionem & sana infirmitatem meam. ¶ [Flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est deuium.] O super sanctissime spiritus, descende in me & ostende potentiam gratiæ tuæ, flectendo rigiditatem propriæ voluntatis meæ. Valde enim rigidum ac ceruicosum me inuenio ad quærendum ab alio consilium idemque sequendum, quando forte meo intellectui sensuique contrarium existit, propriumque consilium, sensus & experientia mea semper mihi optima esse videntur. Quando cum alijs operor aut quoduis officium perago, semper eos pro meo capite facere uolo. Alijs præcipere mihi nimis promptum est, alterius uero uoluntati me subiicere eamque sequi & adimplere, ualde mihi contrarium est atque molestum. Mea denique deuotio, mea experientia, meum propositum, meaque ratio semper mihi potiora, melioraque esse videntur. Veni ueni igitur in me Deus meus, & flecte quod est rigidum in me. Sed & foue obsecro quod est frigidum, ut quod bonum est, faciam semper. Communitatem quidem ut alius, sequor & cæremonijs sanctæ ecclesiæ me confor-
mo. At totus sum frigidus, nec ullum ignem, incendium siue feruorem in me sentio, sed aibus illis similis sum, quæ uerba humana sonare do-

c ij centur.

centur: canibus quoque, qui choreas ducere, can-
tare, aliaque similia facere instituuntur, nescien-
tibus illis quid agant. Sic & ego nullum in me
sentio nec habeo feruorem lugendi peccata
mea, te Deum meum super omnia diligendi,
perfectamque cum proximis meis vnitatem ser-
uandi: sed heu nimis in omnibus frigeo. Ne igitur
differas, o superdulcissime spiritus feruorem
sanctum infundere cordi meo. Noli noli o cle-
mentissime denegare mihi amplius quod peto,
quod obsecro, quia totus a recto itinere aberro.
Video enim domine me necdum veram ac pro-
ximam salutis viam inuenisse: sed ambages que-
ro & ideo facile deuiio. Semper itaque me rege-
re dignare domine Deus meus, quia sapius erro,
nec proximam salutis viam ambulo, cum ta-
men sub sole nihil sit iucundius, quam per secu-
riorem, compendiosioreque salutis viam ad
Deum incedere. ¶ [Da tuis fidelibus, in te con-
fidentibus, sacrum septenarium.] O benignissi-
me spiritus, quomodo quaeso sic differre potes
gratiam tuam, vt necdum sentiam in me virtu-
tem tuam? Nonne tu es immensa largitas, bo-
nitas, misericordia, puritas, & patris ac filij a-
mor? Quomodo igitur o fons aeternae dulcedinis
tamdiu mihi denegare potes gratiam tuam? Sed
scio domine, quia non est aliquis ex tua parte de-
fectus, puto autē quia nos hucusque bonitati tuae
non satis confisi sumus: sed cū magna diffidētia
tibi supplicauimus. Attamen nunc veni domi-
ne, & da te ipsum tuis fidelibus in te confidenti-
bus, teque super aurum & topazion cunctasque
mundi diuitias desiderantibus. Hi enim cogno-
scunt internas operationes tuas, omnem mundi
dele

delectationem excedere, seque sine te nihil posse. Hi (inquam) fatentur gratiam tuam præ omnibus eis necessariam esse, nec solatium, nec fundamentum, nec stabilitatem, nec requiem ullam in seipsis inueniunt, quamdiu cœlestis gratiæ tuæ influxum minime sentiunt. His quoque Deus meus te ipsum dona que tua largiri digneris, qui non solum modo præfato in te credunt, sed etiam toto ac integro corde immensæ bonitati ac largitati tuæ cōfidunt, firmiter credētes quod libenter dare velis te ipsum omnibus illis, qui te humiliter orant, & feruenter inuocant. Ne igitur supersanctissime spiritus diuinam nobis vltra præsentiam tuā subtrahas, sed virtutem nobis cœlestis gratiæ tuæ infunde: dignanterque in nobis sacrum septenarium operare. Nam & homines diuersis distinctisque numeris supputant. Vnus tot se vel amicos, vel consanguineos, alius tot domos, agros, prædia vel census, oues et boues, equos & vaccas, cæteraque similia habere dicit. Sed plane beatus, diues ac sanctus ille est, qui sacro septenario tuo supputare potest.

¶ Primo itaque suauissime spiritus infunde mihi obsecro donū timoris tui, quatenus diuinam maiestatem tuam semper sicut bonus filius patrem suum timere possim. Iugiterque te Deum meum in reuerentiā habeam, timendo offendere dignitatem ac bonitatem tuam. Secundo, domine operare in me bonitatem, suauitatem, et effusam pietatem ad te Deum meum, ad salutem animæ meæ, atque ad homines vniuersos ex purissimo tui amore. Tertio infunde mihi spiritalem scientiam (quæ nos docet vitam nostram secundum beneplacitum tuum instituere) ac in-

collectus illuminationem, quo semper clare cognoscam, quid bonum, quid malum, quid appetendum, quidve fugiendum sit, & quomodo me omnibus vti conueniat. Quarto largire mihi donum spiritualis fortitudinis animæ, quo tibi sic fortiter semper adhæream, vt me nec prospera, nec aduersa a tua valeant dilectione separare. Quinto, concede mihi pie domine consilij donum, quo me iugiter in magnis ac difficilibus virtutum actibus secundum tuum beneplacitum dirigat. Sexto, præsta mihi donum intellectus ad comprehendendum, intelligendū & contemplandum mysteria dñi saluatoris, quantum in hoc & honor tuus, & animæ meæ salus consistit. Septimo, reple me super omnia dono sapientię, ad sapiendum omnia sicuti sunt, ad apprehendendum super omnia te Deum meum tanquam summum bonum, & in gustu siue sapore illo te super omnia diligendum, sicque consequenter ad meipsum cognoscendum, & te dominum Deum meum ac proximos meos perpetua dilectione prosequendū. Ad cognoscendum quoque mundi vanitatem & inconstantiam, & pro huius cognitionis exigentia tam ipsum, quā omnem omnium rerum instabilem felicitatem animo virili contemnendum. O veni veni sancte spiritus in peccatricem animam meam cum multiformi gratia tua. Jam enim ex hoc mundum vniversum calcare & despiciere propono. ¶ Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. ¶ O veni sancte spiritus æterne Deus, & perfectam charitatem, humilitatem, castitatem, patientiam, cæterasque mihi veras virtutes tribue. Non enim vera ac meritoria virtus esse

bus esse potest, nisi quæ a te infunditur. Quicquid enim ex nobis duntaxat procedit, quamuis omnino bonum esse videatur, meritorium non est, nisi ex vera virtute a te infusa oriatur. Specialiter autem o super sanctissime spiritus salutis mihi exitum concede. Dum enim vivo, sæpius cado, lapsusque per gratiam tuam resurgo. Sed da misericordissime finem bonum, quod est super omne donum. In hoc nanque tota salus mea consistit. Sicut enim ex me ipso virtutem nullam adipisci, sic nec adeptam ex me conseruare possum. Da igitur benignissime spiritus, patris & filij amor, æternæ salutis exitum, mortemque beatam: tuamque nobis æternam bonitatem, & perenne gaudium cœlestis patriæ post huius momentaneæ vitæ curriculum, sicut scis & vis misericorditer Deus misericordissime lagire,
Amen.

FINIS Præfationis.

MAR-

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

BIBLIOTHECA

1441